

versa nos acerbissime cruciarent. Jam vero si moriendum esset sine ulla spe futura post hanc vitam beatitudinis , beneficium optimumque Numen tot bonis videretur nos cumulasse non beneficiandi causa , sed potius ad irritandam nostram cupiditatem , cui tamen nulla ratione satisfactum vellet , ita ut , aliqua beatitudinis parte veluti nobis ostensa , eam subito omnemque spem eriperet , & nos ad ultimam desperationem adigeret : quo quidem crudelius nihil fieri potest . Igitur aut eum , a quo tot & tanta beneficia collata sunt , omnium crudelissimum esse dicendum esset , aut ab eo negari beatitudinem , quia eam dare non potest . Prius impium omnino est & iniquum ; etenim qui nobis tot & tanta dedit bonitatis indicia , hunc crudelitatis suspectum habere impium simul & iniquum est : æque absurdum est dicere Deum non posse nobis beatitudinem dare ; qui enim potuit efficere , ut esse inciperemus , an non poterit efficere , ut aut pars nostri post mortem æterna sit , aut totus homo etiam denuto vivat ? Posterius certe non est priori difficilior . Inde igitur colligere est Deum & velle & posse nos æterna donare beatitudine , quam nos consequi non possumus , nisi saltem ea pars nostri , quæ intelligit , vult , sentit , æternum vivat , ideoque nisi mens nostra sit immortalis . Hæc nostra ratiocinatio demonstrat Deum honestati suæ convenienter non acturum , si nullam hominibus æternam beatitudinem concederet , quamvis alioquin omnes hujus vitæ bonis fuerentur : at multo majoris erit ponderis tota ratiocinatio , si quod res est , animadvertiscas neminem his omnibus bonis frui non solum propter corporis infirmitatem aliosque inevitabiles casus , sed potissimum propter violatam legem , quam natura ipsa & hominis constitutio nos docent . Etenim homines hic in terris a Deo collocati se invicem adjuvare debent ; eo miseriores sunt , quo minus sibi mutuo auxilium præbent , quo amplius autem , eo feliciores . At quotidiana experientia notum est plerosque homines affectibus obsecratos ; sibi invicem quam maxime possunt nocere ; unde aliquando infelicissima fit hæc vita , atque non raro contingit , ut qui maxime omnium divinæ voluntati convenienter vivunt , aliosque homi-